



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetæ Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiæ, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs IX. Confitebor tibi Domine, in &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

PSALMVS IX.

Confitebor tibi Domine, in &c.

Quas potero grates fido de pectore promam,
 Res gestas Domini magnaq; facta canens.
 It ne laticia fruam, in te latus orabo,
 Numinis extollam nomina celsa tui.
 Namq; meos hostes expellis de grege nostro,
 Et cogis trepidos turpia terga dare.
 Iniustos punis conscendens, iuste, tribunal,
 Atq; meam causam protegis, alme Deus.
 Funditus extirpas reprobos, & nomina deles
 Horum, posteritas ne memor esse queat.
 Quae nocuere, iacent hastilia facta, nec urbes
 Sunt reliqua, periit fama, locusq; simul.
 At parat aeternus caeleste Iehoua tribunal,
 Quo populos terra iudicet atq; regat.
 Est Deus oppressis protectio firma, salutem
 Fert opportuno tempore opemq; suis.
 In te sperabunt omnes, quicumq; fatentur,
 Quod sis adiutor, presidiumq; piis.
 Isacidum proles summum celebrato Iehouam,
 Audiat ut populus facta tremenda Dei.

Sanguinis

Sanguinis effusi non immemor ille, sed ultor,
Pauperis haud surda praeferit aure preces.
Ne sine ut inuoluat laqueus me mortis acerba,
Sed mihi succurrens fer miserator opem.
Adiutus cantem tibi quò praeconia laudum,
Laudibus ut tollat natio cuncta Deum.
In foueam incantus, quam foderat, incidit hostis,
Implicitus propriis perfidus ille dolis.
Incidit in laqueos, quos abdidit ipse, piorum
Arte struens fraudes insidiasq; gregi.
Sic voluit Deus, ut malus, artibus hostibus iisdem
Quèis aliis nocuit perfidus intereat.
Ut videant, quòd dextra Dei iustissima verum,
Iudicium faciens puniat omne malum.
Ergo trucis tandem turpissima tartara ad Orci,
Numinis excelsi non memor, omnis eat.
Deseret haudquaquã miseros Deus, adseret autẽ
Omnes, qui in Domino spem posuere suam.
Surge Deus, ne vilis homuncio se efferat: Et ne
Insultet miseris vana loquendo piis.
Tu doceas homines, ut quàm sint languida massa,
Utq; Creatorem, te Deus, esse sciant.